



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

Ab Alexandro VII. Ad Clementem X.

Luxemburgi, MDCCXLII.

XXXVIII. Approbatio Decreti Congregationis Regularium prohibentis
foundationem Conventus Reformatorem S. Francisci de Observantia in terra
Vezzani in Corsica.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74833](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74833)

secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 6. Volumus autem, ut ipsarum præsentium Literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides in iudicio, & extra ubique adhibeatur, quæ adhiberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 17. Maii 1673. Pontificatus nostri Anno Quarto.

XXXVIII. Approbatio Decreti Congregationis Regularium prohibentis foundationem Conventus Reformatorum S. Francisci de Observantia in terra Vezzani in Corsica.

C L E M E N S P A P A X .

perpetuam rei memoriam.

Nuper pro parte Dilectorum Filiorum Ministri Provincialis, & Definitorii Provincie Corsicæ Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci de Observantia nuncupatorum Congregationi Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositæ exposito, quod Fratres Reformati dicti Ordinis novum Conventum in Terra Vezzani Plebis Castellii Alerien. Dioc. fundare prætendebant, eaque fundatio in gravissimum cessura erat præjudicium, quatuor circumvicinorum Provincie prædictæ Conventuum, nempe locorum Corte, Borio, Zuani, & Ghifone nuncupatorum, quæ intrâ septimum à Terra prædicta milliaria sita sunt, & eadem Terra maxima premebatur inopia, nec Conventus capax erat, cum circiter viginti septem ab hinc annis iidem Fratres Reformati Crucem ibidem fississent, & per experientiam cognito, locum illum ad manutenendos, sive sustentandos tres, nedum duodecim Religiosos inhabilem existere, inde discessissent, & stationem deseruissent; illaque inhabilitas nunc maximè vigeat, cum tota Insula Corsicæ tantam victualium penuriam pateatur, ut pauperes Religiosi illic pane castaneo, atque miliaceo vesci cogerentur, quem nequidem quantum sufficeret reperirent unde si Conventus ibidem multiplicarentur, id majores ipsis ærumnas adferret: Ac propterea eidem Congregationi pro parte dictorum exponentium supplicato, ut prædictos Fratres ab incepto desistere juberet, ac decerneret de cætero per universam Insulam Corsicæ prædictam novos Conventus erigi, & fundari non posse, nisi servata quindecim milliarium unius loci ab altero distantia, quemadmodum ipsa Congregatio anno 1661. quoad Provincias Burgensem & Granatensem, ac Aragoniæ; & prius nempe anno 1601. fel. rec. Clemens PP. VIII. Prædecessor noster quoad Provinciam Carthagenensem sub certis modo, & forma tunc expressis ordinasse reperiebantur. Ema-

navit à prædicta Cardinalium Congregatione Decretum tenoris qui sequitur.

§. 1. Sacra Congregatio Eminentissimorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita, partibus auditis, reque iterum discussa, & examinata, referente Eminentissimo Sanctacrucio, declaravit, atque decrevit, prædictis Fratribus strictioris Observantia novum Conventum in loco dictæ Terræ Vezzani Plebis Castellii erigere minimè licere. Ac in posterum in dictæ Corsicæ Insula pro hujusmodi foundationibus, tam ab Observantibus, quam Reformatis, & Cappuccinis respectivè servandum esse dictam distantiam duodecim milliariarum mensuræ illarum partium, sicque omnino in præmissis observari mandat, ac præcipit, deductis in contrarium, cæterisque non obstantibus. Romæ 14. Aprilis 1673. F. M. Cardinalis Brancatius. H. Calanate Secretarius. Loco ✱ sigilli.

§. 2. Cum autem sicut pro parte eorundem Ministri Provincialis, & Definitorii Nobis subinde expositum fuit, ipsi Decretum hujusmodi quo firmius subsistat, & servetur exactius Apost. confirmationis nostræ patrocinio communiri summo perè desiderent. Nos specialem ipsis exponentibus gratiam facere volentes, ac eorum singulares personas à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & penis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Decretum præinsertum auctoritate Apostolica tenore præsentium approbamus, & confirmamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robor adjicimus, salva tamen semper in præmissis auctoritate prædictæ Congregationis Cardinalium.

§. 3. Decernentes easdem præsentibus literas firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respectivè inviolabiliter observari. Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 4. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis, necnon quibusvis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, Privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permanens, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 20. Maji 1673. Pontificatus nostri Anno Quarto.